



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Quid Lessius ab adolescentia, à Deo petierit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

IV.

cap. 19.

S. 104.

Sed & in altero illo maiore malo, maximorum bonorum, sibi offerri vidit occasionem, & luculento patientiæ exemplo docuit, quid nos, aut in grauibus, aut in diuturnis morbis cogitare, dicere, ac facere debeamus. Hæc enim in eadem Lessij vita legimus, digna, quæ huc exscribantur, quia digna, ut & imitatione exprimentur ab ijs, qui minùs innocentes ægrotant. *Leonardus Lessius, jam inde ab adolescentia, id unum diurnis nocturnisq; precibus à DEO flagitavit, ut eiusmodi sibi vita cursum concederet, quo diuina Maiestati placere, & anima sua salutem operari posset, Corpus suum & animum DEO in holocaustum sistebat. Petebat nihil, excipiebat nihil: pro sanctissima sua voluntate id de se ageret, quod luaberet. Copiose tanto desiderio visus est annuisse Deus; & (sicut de fortissima tolerantia patriarchæ Iob & Tobin factum legimus) experimentum voluisse sumere, num tam generosa liberalisq; voluntas, perpetuò sibi ipsa constaret. Siquidem totos quadraginta quinque continuos annos, nempe à tertio & vigesimo ætatis, usque ad sexagesimum nonum, quo diem ultimum clausit, vnus ex altero semper illi dolor fuit; immò etiam deterior priore posterior. Vt videlicet extensa Patientia vitæq; commensa simul cum ætate cresceret, & ex amissi diuina voluntati Lessium adæquaret.*

V.

Principium morborum Duacense dedit exilium; ut quod DEI Religionisq; causâ malum obuenerat, Deus martyrio annumeraret, & Lessium ambitiosè toleraret. Hæretici in DEVM & Philippum Regem rebelles. Duaco Lessium cum cæteris Religiosis proscripserant. Ipse in obscurum diuersoriolum reuersus contagiosam isthic lues (de qua pluribus cap. 3. agitatum est) induit; quâ, non antè quàm vitâ, exutus est. Quippe totum ea lues corpus peruasit, & primùm quidem eo furore, ut & caput, & cætera membra in duplum tumere fecerit. Et quamuis Lessius sobriâ vitæ ratione, & medicorum industriâ, malum illud domuerit: euincere tamen non potuit, nè sparsim maculas scabie partes quasdam, veluti arcus retineret, è quibus perpetuum valetudini bellum lacefferet. Hinc molestissima illa impetigo, qua variâ membra, pessimè verò utramq; tibiam assiduo pruritu, cæcis edaci morsu corrosit. Hinc stomachi languor, frigus, pituita, intestinorum tormina, ventorum ex ore flatu, prædura aluus, colica aculeus, hepatis vicinarumq; partium affectio. Adhuc hernia utrimq; hinc pugnis
inde